

confectis plenius continetur, decrevit etiam idem Bonifacius ex tunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari, et, beatissime pater, ut premissa uberioris roboris firmitate persistent, supplicat s[ancititati] v[estre] devotissimus e[iusdem] s[ancitatis] ac sancte Romane ecclesie filius F[ridericus] modernus marchio Mißnensis, quatenus statutum et ordinationem ac litteras predicta et 5 quecunque inde secuta rata habentes et grata illa ex certa scientia confirmare seu innovare dignemini supplentes omnes defectus, si qui forsitan intervenerint in eisdem, non obstante quod statuto et ordinationi huiusmodi usi non fuerint aut litteras super illis confectas presentaverint cum clausulis oportunis. Fiat in forma O[tto]. [Datum Constantie non. maii anno primo.]<sup>a)</sup>

10

Coll[ationata] Ar[etinus].

## 522.

*Papst Martin V. erteilt dem Markgrafen Friedrich IV. und seiner Gemahlin Katharina auf deren Bitte eine Reihe Gnadenbeweise.*

Konstanz, 1418 Mai 7.

*Hdschr.: Gleichzeit. Niederschrift. Rom Vatikan. Archiv Suppl. 108 fol. 162.*

15

Supplicatur s[ancititati] v[estre] pro parte e[iusdem] et ecclesie Romane fidelis atque devoti filii domini Friderici senioris lantgravii Thuringie et marchionis Mißnensis comitisque Saxonie palatini in primis, quatenus sibi et domine Katherine conthorali sue specialem gratiam facientes eis et cuilibet eorum plenissimam remissionem omnium peccatorum suorum semel in vita et in mortis articulo concedere dignemini ut in forma. Fiat in forma O[tto]. 20

Item quatenus eisdem Friderico et Katherine eius consorti altare portatile concedere dignemini ut in forma. Fiat pro ambobus in forma O[tto].

Item quatenus eisdem Friderico et Katherine eius consorti, quod in locis ecclesiastico interdicto suppositis ianuis clausis et excommunicatis seclusis per presbyterum ydoneum coram se et familia sua missam et alia divina officia possint facere celebrari 25 dictisque divinis officiis cum clericis celebrantibus, ad quecunque loca interdicto supposita eos declinare contigerit, communiter et divisim cum familiaribus suis interesse et cessationibus generalibus dominorum concedere dignemini. Fiat in forma pro utroque O[tto].

Item quatenus ac quotiens eis placuerit coram se et familia sua per presbyterum per eos eligendum missam et alia divina officia etiam ante diurnam lucem celebrari facere 30 libere et licite possint licentiam concedere dignemini ut in forma. Fiat in forma O[tto].

Item quatenus eisdem Friderico et Katherine eius consorti confessionale perpetuum in forma Benigno concedere dignemini ut in forma. Fiat O[tto].

Item quatenus, ut temporibus quadragesimalibus et aliis diebus ieiunialibus ipsi et terrarum suarum incole seu subditi propter temporum caristiam et piscium defectum 35 lacticiniorum esubus uti licite valeant, licentiam misericorditer impertiri dignemini ut in forma. Fiat in forma O[tto].

521. a) Das Datum ist ergänzt nach fol. 162<sup>b</sup>.